

PRAELECTIONES

SEMESTRES,

IN

CAESAREA UNIVERSITATE
LITTERARIA,

QUAE DORPATI CONSTITUTA EST,

A. D. XV. IAN. ANNI c1o1000000.

HABENDAE

INDICUNTUR

A



RECTORE ET SENATU ACADEMICO.

INEST

RECENSIO XXX. NUMORUM VETERUM GRAECORUM

ARGENTEURUM,

QUI IN MUSEUM ACADEMICUM NUPER SUNT ILLATI.

.....

DORPATI,

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.

COMMILITONIBVS HVMANISSIMIS

S. P. D.

CAROLVS MORGENSTERNIVS.

Quod nuper optaram in Enumeratione numerorum familiarum Romanarum qui in Museo academico servantur ¹⁾, ut Graecorum etiam numerorum, quorum tunc nonnisi quinque erant, longam seriem commonstrandam proponere Vobis possem, COMMILITONES, eius voti citius quam speraram magna saltem ex parte compotem me factum esse valde laetor. Nam inter varias res, quibus Vir generosissimus, OTTO MAGNVS DE RICHTER, Ducatus Livoniae ex ordine equestri Consiliarius de patria sua optime meritus, Ordinis S. Annae Eques primae Classis, Museum huius Academiae liberalissime exornavit ex copiis litterariis et antiquariis, quas in itinere orientali collegerat filius desideratissimus, OTTO DE RICHTER, in aetatis flore Smyrnae d. $\frac{xiii}{xxv}$. Aug. c1010ccccxvi. ereptus amantissimis parentibus, propinquis, amicis, atque etiam iis litteris quibus ardenti studio se dicaverat egregius iuvenis, locum non extre-

1) Partic. II. p. XII, quae praemissa est Catalogo Praelectionum semestrium a d. V. Aug. anni c1010ccccxviii. habendarum. Paenultimum Catalogum laudanti liceat in iis, quae ultimo et novissimo praemissae sunt, Symbolis crit. in Cic. Dispp. Tusc. lib. I. duos corrigere typographi errores, qui ab exemplarium editorum parte quidem absunt. Pag. VI, lin. 28, 29. lege animi, non animae; p. VII, lin. 11. Dicaearchi, non Dicaearchus.

num occupant numi antiqui, qui sunt aurei et electrei VII., argentei XXXIII., aenei LXVII., tantum non omnes Graeci. Quum vero illi sine omni notitia, quaenam et unde sint singula quaeque, Museo sint oblatae, meum esse duxi, numum unumquemque ad patriam et genus suum, quantum possem, revocare. Cuius operae specimen hoc loco dare placuit recensendis triginta numis argenteis Graecis, quorum partem quandam remotiori antiquitati deberi atque rarioribus omnino annumerandam esse mecum iudicabunt harum rerum non imperiti. Hi sicubi forte erravero in negotio passim non nimis facili atque expedito, ut erranti comiter monstrare velint viam, rogo et oro. Sciant, praeter Doctrinam numorum veterum ab ECKHELIO conscriptam, quem in describendis singulis ²⁾ ducem maxime secutus sum, pauca subsidia praesto mihi fuisse in Bibliotheca publica, quae in Romanorum re numaria satis locuples, in Graecorum adhuc est pauper. Sic PELLERINI, NEVMANNI, COMBII, SESTINII ³⁾ aliorumque praeclaris operibus aegre carui. Quae si quando nactus fuero, quidquid inde lucis ad hos reliquosque numos illustrandos redundabit, occasione data libenter Vobiscum, COMMILITONES, communicabo. Quod in brevi descriptione de parvo numorum numero ordini geographico, quem omnino in Museis numismaticis disponendis ECKHELIO praeunte stricte observandum esse censeo, alium modum praetuli, id aequos arbitros vix reprehensuros spero. Quippe eiusmodi dispositionem quaerebam, quae et ad temporum seriem notandam et ad artis diversam rationem spectandam in parvula huiusmodi sylloge non plane incommoda videretur. Fateor tamen atque etiam profiteor, in diiudicanda et aetate et arte, saltem quod ad populorum et urbium monetam attinet, probabilitatem quandam saepius me secutum esse, quam certam rei exploratae veritatem assecutum.

2) Hac in re ne illud quidem, quamvis levioris momenti esse videatur, negligendum putavi, quod ab ECKHELIO non raro neglectum monuit immortalium huius viri de re Veterum numaria meritorum aequis aestimator et praeco eloquens, SCHLICHTEGROLLVS (Annal. der gesammten Numism. T. I. p. 25 Not.), ut in singulis numis indicetur, an adversae caput aut aversae figura dextrorsum spectet vel sinistrorsum, et similia minuscula,

3) Viri clarissimi duo tantum volumina ad manus erant: *Classes gen. Geogr. numism.* et *Museum Knobelsdorffianum.*

NVMI ANTIQVI GRAECI ARGENTEI.

A. POPVLORVM ET VRBIVM.

CHIOS INSVLA.

Sphinx alata ad s. X Quadrata vetusto modo incusa satis informia. Epigraphe nulla. III.

Sphinx fere proprius Chiorum typus: conf. *ECKHEL. Doctr. num. vet. T. II. p. 564.* Quapropter non dubitavi, hunc numulum antiquissimum, Eckhelio incognitum, huc referre. Antiquior certe videtur quam omnes Chii insulae numi, qui ab eodem p. 564 seq. memorantur.

LAMPSACVS MYSIAE.

Equus marinus alatus saliens ad s. X Quadrata informia vetusto more incusa. Epigraphe nulla. III.

ECKHEL. l. c. T. II. p. 456 hunc numum indicans laudat Sestinium, Pellerinum, Hunterum, de hoc et duobus aliis addens: „Numi hi cum propter metallum, tum aevi pervetusti indicia omnia, insignis sunt pretii, atque etsi inscriptione carent, Lampsaceni tamen causa equi marini alati certe sunt, quia in numis eorum aliis ipsum populi nomen iuxta scriptum legitur. Et quod amplius est, etiam tum, cum aliis in moneta sua typis sunt usi, eius tamen sigillum iuxta adstituerunt, ceu Sidetes malum granatum, Selinuntii folium apii &c., ex quo satis apparet, Lampsacenos fictitium istud animal velut sibi proprium adseruisse.“

PYLVS.

ΠΥ. Bos gradiens ad s., infra delphinus. X Quadrata informia vetusto modo incusa. III.

Memoravit *ECKHEL. T. II. p. 269* huiusmodi exemplum ex Mus. Caes. et ex Pellerino (Rec. I. tab. XVIII.), apposuitque huius generis numis argenteis magnae raritatis signum (RRR.) Quam certam argenteae huius monetae epigraphen dicit ΠΥ priore littera modo singulari formata, ea ipsa in numo nostro eoque integerrimo reperitur. Ceterum Eckhelius incertum esse iure dicit, cuiusnam Pyli, quum plures Pyli fuerint, sit antiquissimus hic numus; imo necesse non esse eum Pylo tribuere, sed alicui ex urbibus quae a binis his litteris incipiant, quaecunque ea sit. Haec ille. *SESTINIUS* quidem (*Descriz. delle Medaglie rare di Museo Knobelsdorffiano, Berl. 1804*) tab. I. n. 3, 4, 5 delineatos dedit eiusmodi numos, disputans de eorum patria pag. 18 et in *Nott. p. 86* sic, ut Byzantium commendans nobis quidem non persuadeat. *COVSINERIVM*, quem laudat, eiusmodi numos plures in Bithynia reperisse facile credimus; *Pythopolin*, quam idem Cousinerius Bithyniae civitatem fingit, in Geographiam numismaticam non admittimus.

MACEDONIA.

Satyros nudus flexo uno genu mulierem brachiis constrictam tenet. X Quadrata informia incusa vetusto modo. Sine epigraphe. III.

Huiusmodi numos, rariores illos, olim Lesbo ex Goltzii auctoritate tributos, quos pictura et fabrica remotissimi esse aevi opus testantur, ut vere iudicat *ECKHELIVS*, non Lesbo, sed Macedoniae, ita tamen ut de urbe non constet, tribuendos esse docuit praeclarus idem *Doctrinae nu-*

VI

morum veterum auctor T. II. p. 500. Cur Lete, Macedoniae oppidum vulgo ignotum, probabiliter haberi possit talium numorum patria, eius rei causam indicat *SESTINIUS*, l. c. p. 2, Not. Plures huius generis numos enumerat *MIONNETVS* (Descript. de Méd. antiques Grecq. et Rom., T. III. p. 32 seq., cuius operis nonnisi Tomos tres priores me adhuc nactum esse doleo.) De typis conf. tabb. *MIONNETI* (Recueil de Planches, Pl. XLIV, n. 4 et 5.)

ERYTHRAE.

Vir nudus equum freno retinens, ad s. X *Astrum in typo incuso.*
Epigraphe nulla nec est nec olim fuit. III.

Hunc prisci operis numum ut ad Erythras referendum putem, movet me *ECKHELIVS* l. c. p. 199, laudato simili quodam cum epigraphe ΕΡΥΘ. ex Museo Pembrock. Rem certam non esse concedo. Ceterum quos numos autonomos argenteos, inscriptos ΕΡΥ., Harduinus et Pellerinus Erythris Boeotiae tribuunt, eos omnes esse Erythrarum Ioniae dicit *SESTINIUS* in libro: *Classes generales Geographiae numismaticeae* P. II. p. 71. Conf. etiam *SCHLICHTEGROLLVM* libro utili, qui utinam mox continuetur: *Annalen der gesammten Numismatik*, T. I. p. 61 seq.

ATHENAE.

Caput Palladis ad d., simplice galea tectum, insuper, ni fallor, oleae foliis ornatum. X *ΑΘΕ.* *Scriptura retrograda.* *Noctua stans inter duos oleae ramos.* III.

Numus antiquioris aevi. Ab iis quos laudat *ECKHEL.* T. II. p. 209 differt oleae foliis quae dixi. In aversa parte non reperitur lunula.

Caput Palladis parva galea tectum. X *Noctua stans, superne iuxta folium olivae.*

Numus formae minimae sine epigraphe.

THESSALIA.

Caput Iovis laureatum, ad d. X *ΘΕΣΣΑΛΩΝ.* *Pallas gradiens ad d., pendentibus ex humero alis, d. hastam intorquet, s. clipeum praetendit.* *Duorum magistratum nomen, supra ΠΟΛΥΖΕΝ., infra ΕΥΚ.Α.* (i. e. ΕΥΚΟΛΟΣ). II.

Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 133; *MIONNET.* l. c. T. II. p. 3 n. 19, et *CHR. RAMI* Catal. Numor. vet. Gr. et Lat. Musei Regis Daniae, Part. I. p. 130, 131.

CORINTHVS?

Caput muliebre ad d. X *Pegasus.* *Infra littera ♀ satis detrita.* III.

Caput muliebre ad s., cincinnis duobus dependentibus, monili ornatum. *Apposita littera Α.* X *Pegasus.* *Infra littera ♀.* III.

Corinthum nominavi in duobus his numis, licet, ad quam urbem referendi sint, certo haud constet. Conf. *ECKHELII* animadversiones in numos argumenti Corinthii T. II. p. 244 — 255. „Litteram ♀ esse vetus Phoenicium Koph, in cuius locum successit K, et illa indicari Corinthum, inter omnes convenit.“ *Eckhelii* sunt verba p. 245. Caput mu-

VII

liebre in duobus numis nostris, quamvis in utroque diversum, neutrum tamen galeatum, an fortasse est caput Arethusae, numique Syracusis signati? Conf. *ECKHEL.* p. 248. Alter numus, in cuius antica parte conspicitur A, possit esse alicuius coloniae Corinthi, ut Actii, Argi Amphilochoii &c. Nihil vero hac in re definire ausim, hoc unum monens, ambos numos Pegaso insignes, ceterum valde inter se et metallo et fabrica diversos, proprie non pertinere ad id genus, de quo Eckhelius p. 249 seq. agit, nonnisi de didrachmis disserens, quum nostri multo minoris sint moduli.

CHALCIS EVBOEAE.

Caput muliebre ad d.)(*Aquila serpentem depascens.* III.

Caput muliebre Iunonis esse videtur. Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 323.

HISTIAEA EVBOEAE.

Caput Bacchi ad d., racemis redimitum.)(. ΣΤΙ. *Mulier prorae navis insidens ad d., s. velum explicatum tenet.* III.

Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 325. *MIONNET.* T. II. p. 308 seq.

SIPHNVS INSVLA.

ΣΙ. *Chimaera ad s.*)(*Columba volans.* III.

De Siphni, unius Cycladum, numis conf. *ECKHEL.* T. II. p. 335 seq. *MIONNET.* T. II. p. 324 seq.

AMISVS PONTI.

Caput muliebre ad s., cinctum corona fastigata, inauri et monili ornatum.)(*Noctua adverso pectore explicatis alis basi insistens. Infra ΠΕΙΡΑ, superne, tamen sub noctuae alis, ΜΥΛΛ.* II.

Quinam urbi tales numi remotae sane vetustatis tribuendi sint, certum esse negat *ECKHEL.* T. II. p. 390. *SESTINIUS* vero in ΠΕΙΡΑ urbis nomen quaerens, non sine magna probabilitate eos Amiso Ponti tribuit, quae urbs a Milesiis aedificata, ab Atheniensibus subinde coloniis frequentata, Strabone teste ab his vocata Piraeum. Conf. etiam *SESTINI* Mus. Knobelsdorf. p. 34, ibique tab. II. n. 2. Inscriptio ΜΥΛΛ nostro numo propria videtur, isque ob eam valde memorabilis. Quae quorsum pertineat, doceant nos qui compertum habent.

RHODVS INSVLA.

Caput Solis radiatum, liberaliter crinitum, ad d.)(ΡΟ. *Balaustium. Pone rosae calyx, cuius pars inferior formare mihi quidem videtur monogrammate litteras TE. Supra legitur ΑΡΤΕΜΟΝ. Haec omnia in quadrato incuso.* III.

Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 602. Exemplar numi non raro obvii elegantissimum. Imaginem eius habes apud *MIONNETVM* (Pl. LII. n. 1.)

THASVS INSVLA.

Silenus flexo sinistro genu ad s., dextera tenens vas ansatum, sinistra femori admota.)(ΘΑΣΙΩ. *Diota intra quadratum incusum.* III.

De numis Thasi, opulentissimae insulae Thraciae, conf. *ECKHEL.* T. II. p. 52 — 55, apud quem non inveni typum nostro convenientem.

VIII

Similem fere laudat *SESTINIUS* Descr. Mus. Knobelsd. p. 24. Oblonga numuli ex argento purissimo forma.

PARIVM MYSIAE.

Persona lingua exserta serpentibus horrens.)(Π. *Bos stans et respiciens ad d.* III.

Intra pedes bovis esse videtur littera Π; sed certo dici non potest de exemplo, cuius antica integerrima, aversa minus integra. Hic numus vetustus tribuendus est Pario ad Propontidem, Erythrarum coloniae. Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 459, qui *SESTINII* opera Parianorum rem numismaticam praeclare illustratam candide agnoscit. Conf. etiam, quam Eckhelius laudare nondum poterat, Sestini Descriptionem numor. rar. Musei Knobelsd. p. 47, ibique tab. II. n. 8, quae similem numum exhibet, cuius aversa integra superne monstrat litteras ΠΑ, inferne ΠΙ.

SIDE PAMPHYLIAE.

Caput Palladis ad d.)(*Victoria gradiens ad s., d. coronam praefert; in area malum Punicum, et infra ΔΙ.* I.

Vid. *ECKHEL.* T. III. p. 15 seq. Numus propter metallum et pondus spectabilis, qui an inscriptione differat ab iis quos ex Mus. Caes., e Pellerino et Huntero laudat Eckhel. l. c., conferenti patebit.

LYSIMACHIA CHERSONESI THRACIAE.

Caput leonis ad d.)(ΛΥΣΙ. *Spica.* III.

Caput Apollinis laureatum ad d., occipitio velato.)(ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Circa est corona spicea.* III.

Numus, quem altero loco recensui, maior est priore, pondere insignis. Eius in averso typus *ECKHELIO* (conf. T. II. p. 50) haud memoratus. Argenteorum Lysimachiae idem mentionem fecit nullam.

CISTOPHORVS EPHESI.

Cista semiaperta, ex qua serpens ad s. provolvitur, omnia intra coronam ex hedera et corymbis contextam.)(E+E. *Duo serpentes caudis mire implicatis exsurgentes complectuntur nescio quid. In area gallus gallinaceus.*

De pharetra, taedis, aliisque rebus inter serpentes positus certus non sum. De huiusmodi imaginum in cistophoris obscuritate vide *ECKHELIVM* T. IV. p. 357, 358, coll. p. 353, 354. Laudat in diss. de numis cistophoris p. 353 Ephesi cistophorum, sed illum a nostro diversum. Litteras solitarias easque arithmeticas quum in omnibus cistophoris Ephesi, quotquot viderit magis integros, in area aversae se observasse affirmet p. 363, quaesivi eiusmodi notas in nostro quoque numo maxima sui parte optime conservato. Obscuris saltem indiciis agnovi, et quidem formis ΖΔ, ita quidem, ut si de priore nota dubitatio relinquatur, altera Δ adsit omnino.

Tironum causa, qui haec legent, addo, omnes cistophoros argenti esse purissimi, pondere ad tetradrachma accedentes, eorumque patriam fuisse eam Asiae minoris partem, quae olim regum Pergamenorum ditio, subinde Romanis testamento subiecta est, atque eorum argumentum unice ad Bacchi mysteria et orgia pertinere. Eckhelius quidem p. 365 cistophoros monetam illi Asiae minoris parti propriam signatamque

in quemcunque usum, sive sacrum sive profanum esse putat, perinde ut suam Atheniensibus aliisque populis et civitatibus. Quo tempore cudi coeperint, eodem iudice p. 363 nihil potest probabile afferri. Illud unum constat, iam V. C. 564 obviam fuisse in Asia monetam, quod eo anno Man. Acilius Glabrio in triumpho, quem de Antiocho M. egit, cistophorum ingentem copiam praetulit (Liv. XXXVII. 46.)

B. R E G V M.

MACEDONIAE.

PHILIPPI II.

Caput Iovis laureatum ad d.)(ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Eques lento gressu ad s., d. elata. Sub primo pede elato gradientis equi astrum, sub tertio littera Δ. II.

Opus elegans, minime barbarum. Conf. ECKHEL. T. II. p. 94, 95.

Caput Apollinis laur. ad d.)(Figura muliebris in citis bigis ad d., d. porrecta scuticam tenens. Sub pedibus equorum ΦΙΛΙΠΠΟΥ et fulmen. III.

Opus elegans. Conf. ECKHEL. ibid. p. 94. Ex aureis Philippi, inquit, hi maxime obvii, argentei similes rari.

ALEXANDRI M.

Caput imberbe (Herculis) ad d., leonis exuviis tectum)(ΑΛΕΞΑΝΔΡ.. Iuppiter seminudus ad d., sedens, d. aquilam, s. hastam; in area avis ala elata: intra fulcrum sedis, ni fallor, serpens. III.

Caput imberbe (Herculis) ad d., leonis exuviis tectum.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. Iuppiter seminudus ad d., sedens, d. aquilam, s. hastam, in area TI et intra fulcrum sedis apis. III.

Conf. ECKHEL. l. c. p. 98. De Herculis, non Alexandri, capite vid. eundem p. 99. Apis sigillum pertinere potest aut ad Ephesum, aut ad Aradum, ut in alterutra numus cusus statuatur. Conf. Eckhel. l. c. p. 100, 101.

THRACIAE.

LYSIMACHI.

Caput Regis diadematum ad d., adstituto arietis cornu.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Pallas sedens ad d., d. Victoriolam, s. hastam, et simul clipeo, qui capitis formam refert, innixa. Sub Palladis dextra monogramma, sellae fulcro inclusum ΒΥ, infra sagitta, sceptrum aliaque. Num. maximi moduli.

Conf. ECKHEL. T. II. p. 56. De principio vocabuli ΒΥ idem p. 57 non ausit certum quid affirmare.

Caput Herculis imberbe ad d., leonis exuviis tectum.)(ΒΑΣΙΛΥΣΙ. intra coronam spiceam. III.

Conf. ECKHEL. ib. p. 57.

AEGYPTI.

PTOLEMAEI I. SOTERIS.

Caput Regis diadematum ad d.)(ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ.

Aquila fulmini insistens. In area ΣΙ et ΔΙ; etiam anni, ni fallor, ΔΔ, quanquam hoc certo affirmare non ausim. I.

Numus operis egregii. Conf. *ECKHEL.* T. IV. p. 6.

BITHYNIAE.

NICOMEDIS aut II. aut IV. EPIPHANIS.

Caput Regis diadematum ad d.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Iuppiter seminudus ad s., stans, d. porrecta, s. elata hastam, in area aquila fulmini insistens et nota annorum ΑΡΣ. I.

Conf. *ECKHEL.* T. II. p. 444, 445. *MIONNET.* T. II. p. 509 — 511. Vox ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ eam tantum ob causam abesse videtur, quia margo numi haud vulgaris ex altera parte vi est ablati. Idem valet de corona, quam Iuppiter d. porrecta tenere solet in huiusmodi numis. Notam annorum ΑΡΣ aliis dispiciendam relinquo. De epocha Bithynica consule quas *Eckhel.* l. c. p. 397 seq. affert variorum sententias satis incertas.

CAPPADOCIAE.

ARIOBARZANIS I. PHILOROMÆI.

Caput Regis diadematum ad d.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Pallas stans ad s., d. Victoriolam, s. hastam cum clipeo, infra vel ΑΙ vel ΔΙ. Etiam duo monogrammata in area, alterum sub Victoriola, alterum post hastam. III.

Conf. *ECKHEL.* T. III. p. 199.

In numo Palladis victricis imaginem referente, simul voce ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ insignito, census desinit noster. Placet omen. Nempe, Vos, COMMILITON^εΣ, ipsos auguramur fore, alia quidem sensu quam Cappadocum rex, Φιλορωμαίους, atque etiam Φιλέλληνας, quandoquidem Romanos amare nequit, qui Graecos oderit. Illud autem Vos proposita iam lectionum academicarum tabula speramus statim comprobabimur in iis scholis, quas sanus nemo frequentaverit, qui alienus sit a litteris et Graecis et Latinis. P. P. in Vnivers. litt. Dorpatensi, d. XV. Ian. c1810ccccxx.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

HERMANNUS LEOPOLDUS BOEHLENDORFF, D., a Consil. Collegiorum, Theologiae practicae P. P. O., Ord. Theol. h. t. Decanus, 1) Praeceptis catecheticis auditores imbuet ter per hebd. hora XI — XII. 2) Theologiae pastoralis primas ducet lineas die Sat. hora XI — XII. 3) Evangelium Matthaei interpretabitur et cum Evangelio Lucae comparabit quinques per hebd., h. IV — V. 4) Praelectiones offert dogmatico-practicas quinques, horis indicandis. 5) Exercitationes homiletico-practicas solito more diriget.

LAURENTIUS EWERS, D., a Consil. Collegior., Theologiae Dogmaticae et Moralis P. P. O., Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, 1) Dogmatices partem alteram exponet quater, h. X — XI, 2) Isagogen criticam in Nov. Testamentem dabit duce Haenleinio quater, h. III — IV. 3) Introductionem uberiozem in Theologiam revelatam sexies per hebd., hor. II — III gratis. 4) Polemicam tradet horis indicandis.

GUILLIELMUS FRIDERICUS HEZEL, D., a Consil. Collegior., Philologiae S. et LL. OO. P. P. O. 1) hor. VIII matutina dieb. Lun., Mart. et Merc. institutiones linguae Hebraeae tradet tironibus; 2) hor. eadem dieb. Iov., Ven. et Sat. Biblia (Hebr.) parva ab ipso edita explicaturus, ad Praxin analyticam uberiozem adducet eos, qui dudum imbuti sunt praeceptis grammaticis; 3) hor. IX dieb. Lun., Mart. et Merc. Geneseos Mosaicae interpretem aget e S. codice Hebraeo; 4) hor. ead. dieb. Iov. et Ven. Numismatice Arabicae potiora tradet praecepta, illustranda praesidiis studii Numismatice Arabicae per ipsum Museo academico oblatis; 5) hor. ead. cuiusvis d. Saturni Institutiones linguae Arabicae repetiturus interpretabitur carmina quaedam Arabica (Lemgoviae 1786.) ipsius curis edita.

CHRISTIANUS FRIDERICUS SEGELBACH, D., a Consil. Collegior., Historiae ecclesiasticae et litterarum theologiarum P. P. O. 1) Historiae Religionis et Ecclesiae Christianae partem posteriorem duce Io. Matth. Schroekhio tradet quinques per hebd. hor. III — IV. 2) Historiam litterariam

theologicam iisdem diebus, excepto Saturni die, hor. XII — I docebit.

II. LECTIONES IURISCONSULTORUM.

CHRISTOPHORUS CHRISTIANUS DABELOW, D., a Consil. Aul., Iuris civilis P. P. O., Ord. Iuris Consultorum h. t. Decanus, 1) Pandectas cursu altero exponet sexies per hebd., hor. IV — V, et 2) Ius privatum Germanicum tradet sexies hor. V — VI., in utraque praelectione libellorum a se editorum ordinem secuturus; 3) Examinatorium et Practicum ad Pandectas habebit semel per hebd., d. Merc. hor. VI — VII.

FRIDERICUS LAMPE, a Consil. Aul., Iuris publici et gentium, Politices, Historiae Iuris et Litteraturae iuridicae P. P. O. 1) Ius criminale enucleabit duce Feuerbachio sexies per hebd. hor. X — XI. 2) Historiam Iuris litterariam narrabit ad dictata sua, sexies, hor. IX — X.

IOANNES GEORGIUS NEUMANN, a Consil. Collegior., Iuris provincialis Livonici et Iurisprudentiae practicae P. P. O., Tribunalis academici quo appellatione certatur causaeque recognoscuntur, h. t. Praeses, 1) Iuris Russici privati cursum alterum offert, quinquies per hebd., hor. XI — XII. 2) Ius Russicum criminale tradet, ter hor. XII — I, in utraque praelectione sua dictata secuturus.

III. LECTIONES MEDICORUM.

MARTINUS ERNESTUS STYX, D., a Consil. Collegior., Diaetetics, Materiae medicae, Litteraturae medicae et Historiae Artis medicae P. P. O., Ordinis Medicorum h. t. Decanus, 1) Materiam medicam exponet iunctam cum Therapia generali et arte formulas medicas conscribendi, sexies p. hebd. hor. XII — I. 2) Diaeticam dieb. Merc. et Sat. hor. XI — XII.

CHRISTIANUS FRIDERICUS DEUTSCH, D., a Consil. Collegior., Artis obstetriciae P. P. O. 1) Artis obstetriciae partem practicaam tradet duce Sieboldo quinquies hor. VIII — IX. 2) Clinicum obstetricium habebit quandocunque opportunitas dabitur, hor. IX — X. 3) de morbis mulierum quinquies per hebd. disseret, hor. III — IV.

LUDOVICUS EMILIUS CICHORIUS, D., a Consil. Aul., Anatomiae, Physiologiae et Medicinae forensis P. P. O., 1) Osteologiam et Syndesmologiam quinquies per hebd. docebit dieb. Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. III—IV. 2) Angiologiam et Splanchnologiam sexies hor. IX—X. 3) Physicam Organismi humani sexies hor. VI—VII. 4) Medicinam forensem dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. II—III. 5) privatissime Organographiam hominis sexies hor. mattut. VII—VIII et VIII—IX.

IOANNES CHRISTIANUS MOIER, D., a Consil. Aul., Chirurgiae P. P. O., 1) quotidie habebit Clinicum chirurgicum hor. IX—X. 2) Chirurgiae theoreticae partem priorem tradet dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. hor. XI—XII. 3) Operationes chirurgicas demonstrabit dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. XII—I.

IOANNES FRIDERICUS ERDMANN, D., a Consil. Collegior., Pathologiae, Semiotices, Therapiae et Clinices P. P. O., 1) quotidie habebit exercitationes clinicas hor. X. 2) dieb. Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. IV—V doctrinam de morbis acutis; 3) totidemque dieb. hor. V—VI Therapiam generalem tradet; 4) die Sat. hor. IV—VI exercitationes disputatorias continuabit.

*

*

*

IOANNES FRIDERICUS ESCHSCHOLTZ, D., P. P. E. O. et Prosector Theatri Anatomici, 1) Anatomiam et Physiologiam animalium comparatam docebit partim ex Cel. Cari libro, partim ex thesibus suis sexies per hebd. hor. XI—XII. 2) Cadavera secandi artem monstrabit quotidie hor. III.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

GOTTLOB BENIAMIN IÄSCHE, D., a Consil. Collegior., Philosophiae et theoreticae et practicae P. P. O., Ord. Philos. I. et III. Class. h. t. Decanus, 1) Logicam enucleabit duce Kiese-wettero, ter per hebd. hor. X—XI. 2) Metaphysicam duce C. Chr. Erh. Schmidio, quater, hor. XI—XII. 3) Encyclopaediam generalem disciplinarum exponet librum suum secuturus, ter hor. X—XI. 4) Historiam Philosophiae et antiquorum temporum et medii aevi narrabit duce Tennemannno, quinquies hor. V—VI. 5)

Disputatorium de rebus philosophicis offert die Sat.
hor. V — VI. Vid. etiam VI. Seminar. paedagog.

CAROLUS FRIDERICUS LEDEBOUR, D., a Consil. Aul., quum
Historiae naturalis universae, tum Botanices P.P.O., Ord. Philos.
II. et IV. Class. h. t. Decanus, 1) Botanices partem prio-
rem docebit quinquies per hebd. hor. X — XI. 2) Histo-
riam naturalem Insectorum et Vermium ter per hebd.
hor XII — I.

GEORGIUS FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Status, Phy-
sices theoreticae et applicatae P.P.O., Ordinis S. Vladimiri Eques,
1) Physices theoreticae partem alteram tradet sexies
per hebd. ad librum suum, hor. XI — XII. 2) horam unam
per hebd. Dissertationibus physicis inter Auditores insti-
tuendis consecrabit.

CAROLUS MORGENSTERN, D., a Consil. Collegior., Eloquentiae,
LL. Gr. et Lat., Aesthetices et Historiae Art. P.P.O., Ordinis S.
Vladimiri Eques, 1) Aestheticam applicatam tradet, ac-
curatius Poëticam, brevius reliquarum, quae in Pulchro ver-
santur, artium rationem praecepturus, ad dictata, quater per
hebd., dieb. Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. VIII — IX. 2)
Antiquitates Romanas, seu Historiam reipublicae, insti-
tutorum, religionum, morum, vitaeque Romanorum veterum
enarrabit suum ordinem secuturus, adhibito tamen passim Io.
Leon. Meyeri libro, addita notitia critica librorum de quovis
capite optimorum, quinquies, dieb. Mart., Merc., Iov. Ven. et
Saturni hor. XI — XII. 3) Odis Pindaricis et Orationi-
bus politicis ex Thucydide selectis, Latino sermone
interpretandis, exercebit Seminarii Paedagogici Sodales, ad
quas exercitationes aliis etiam Auditoribus gratis patet aditus.
Vid. etiam VI. Bibl. acad. et Museum Art.

IOANNES GUILIELMUS KRAUSE, D., a Consil. Collegior., Oeco-
nomiae, Technologiae et Architecturae civilis P. P. O., Ordinis
S. Vladimiri Eques, 1) Rei rusticae partem alteram do-
cebit, quater per hebd. hor. VIII — IX. 2) Architectonices
principia, quater hor. X — XI. 3) Architecturae rusti-
cae elementa, quater hor. III — IV. 4) Artem ichnogra-
phicam demonstrabit ita, ut inserviat illustrandis praeceptis
et Architecturae, et rei rusticae, dieb. Merc. et Sat. hor. X — XII.

FRID. EBERH. RAMBACH, D., a Consil. Collegior., Disciplina-
rum quae pertinent ad rem quam dicunt cameralem, ad reditus
et ad rem mercatoriam P. P. O., 1) Oeconomia publicae

partem alteram duce Iacobo tradet quinquies per hebd. hor. IX — X; 2) Priorem partem doctrinae eorum quae sunt disciplinae publicae (Polizeywissenschaft) ad dictata, quater hor. XII—I; 3) Encyclopaediae disciplinarum cameralium partem priorem quater hor. X—XI.

PHILIPPUS GUSTAVUS EWERS, D., Universitatis h. t. Rector magnif., Historiae, Statist. et Geogr. quum Imperii Russici, tum Provinciarum Livoniae, Esthoniae, Curoniae et Fenniae P. P. O., Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, 1) Rerumpublicarum Europaearum statum et administrationem, excepto Imperio Russico, exponet quinquies, dieb. Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. XII—I; 2) Recentiore Russorum historiam narrare perget horis indicandis.

FERDINANDUS GIESE, D., a Consil. Collegior., Chemiae theoreticae et applicatae P. P. O., Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, 1) Chemiae generalis principia docebit ex opere suo, quater dieb. Lun., Mart., Merc. et Iov. hor. III—IV. 2) Pharmaceutices partem physiographicam bis, dieb. Ven. et Sat. hor. III—IV; 3) Operationum et chemicarum et pharmaceuticarum modum monstrabit privatissime horis antemeridianis.

ALEXANDER FEODORI F. WOYEIKOFF, D., a Consil. Aul., Linguae et Litteraturae Russicae P. P. O., 1) Praemissa dissertatione de epico carmine, de Aeneide et de Henriade, Rossiados criticam expositionem dabit, et simul Cherascovium cum Virgilio et Voltairio comparabit bis p. hebd. dieb. Lun. et Iov. h. VI—VII. 2) Dissertationis de Poesi Russica, antiqua, media et recentiore, partem priorem tradet bis, dieb. Merc. et Sat. hor. VI—VII. 3) Statisticam Imperii Russici proponet dieb. Mart. et Ven. hor. VI—VII. 4) Biographiam illustrium Russiae virorum, bis per hebd.

FRID. GUILIELMUS CAROLUS DE ADERKAS, a Consil. Aul., Disciplinarum militarium P. P. O., 1) Isagogen in disciplinas militares offert ter p. hebd., die Lun. h. VIII—X et die Mart. hor. IV—V. 2) Tacticam elementarem copiarum pedestrium docebit ternis horis d. Mart. h. VIII—IX et d. Iov. h. VIII—X. 3) De rebus militaribus scribendi artem tradet exercitationibus iunctam, binis horis, d. Ven. h. VIII—X. 4) Rerum militarium delineandarum ducem se praebebit ternis d. Lun. h. II—IV et d. Mart. h. IX—X. 5) Colloquia de iis, quae praelectionibus tradidit, cum Auditoribus habebit die Ven. hor. II—III.

*

*

GUILIELMUS STRUVE, D., Colleg. Assessor, Prof. extraord., speculae astronomicae Observator, 1) Geometriae practicae partem priorem docebit ter p. hebd., d. Lun., Mart. et Iov. h. X—XI. 2) Trigonometriam et planam et sphaericam ter, d. Merc., Ven. et Sat. h. X—XI. 3) Calculi differentialis partem alteram bis, hora Auditoribus commoda. 4) In rationibus et logarithmicis et trigonometricis ap-

plicandis exercebit Auditores hora indicanda. Vid. etiam VI. Spec. astron.

V. LINGUAE HODIERNAE ET ARTES.

- I. Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti, et quidem ex legibus academicis binis quisque horis, gratis: 1) Russicam THOERNER, Classis X., dieb. Lun. et Iov., hor. IV—V. 2) Letticam ROSENBERGER, Gymnasii Dorpat. Director. 3) Esthonicam MORITZ, Assessor Consistor. et Pastor. 4) Francogallicam VALLET DES BARRES, D., Consiliarii titulo ornatus. 5) Anglicam THOERNER, dieb. Merc. et Sat. hor. III—IV. 6) Germanicam WEYRAUCH. 7) Italicam RAUPACH.
- II. Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam studiosis dicabunt. Nam in Hippodromo academico modos equitandi ostendet DAUE, Artis equestris magister, dieb. Mart. et Merc. h. VII—VIII. 2) Arma tractandi regulas dabit DUFOUR. 3) Saltandi artem monstrabit PEULABON. 4) Artem ichnographicam et chalcographicam docebit CAROLUS SENFF, Professor extraord.; publice, die Ven. hor. II—IV, privatim dieb. Mart. et Iov. hor. II—IV. 5) Artem musicam THOMSON, bis, horis indicandis. 6) Operis mechanici magistrum se offert POLITOUR.

VI. INSTITUTA PUBLICA.

In Instituto universali paedagogico scholas methodologicas et practicas habebunt Directores MORGENSTERN et IÄSCHE, quorum prior interpretandis Pindari Carminibus et Orationibus Thucydideis Sodales Seminarii exercebit; alter exercitationes didacticis continuabit.

In Nosocomio clinico, ut supra iam indicatum est, FR. ERDMANN exercitationes clinicas dirigit sexies; in Instituto obstetricio C. F. DEUTSCH; in Instituto chirurgico I. C. MOIER. Theatrum anatomicum desiderantibus monstrabit L. E. CICHORIUS, collectionem pathologicam FR. ERDMANN.

Bibliothecam academicam aperiet dieb. Merc. et Sat. h. II—IV. CAR. MORGENSTERN, Bibliothecae acad. Director. Professoribus patet quotidie horis IX—XII et II—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiet, Directorem adibit.

Museum Artis qui cupiunt videre, Directori C. MORGENSTERN indicabunt; qui Historiae Naturalis Thesaurum, Directori C. F. LEDEBOUR.

Apparatum Physices desiderantibus monstrabit Director G. F. PARROT, apparatus Chemiae Director F. GIESE; Collectionem formarum technologicarum Director I. G. KRAUSE; Speculam astronomicam et Collectionem rerum Mathesin applicatam spectantium G. STRUVE; Collectionem formarum militarium F. G. C. DE ADER-CAS; Hortum botanicum Director C. F. LEDEBOUR.